Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

nis eorum ponit derisionem. Q. d. sicut amantes deum me persequimini: multo magis in antichristo hoc vos facere oporteret. Ille enim dicit non se a patre missum: sed secundum voluntatem illius venire. Sed ex contrario ea quae deo non congruunt rapiens sibi omnia, deum se esse dicens. Manifestum est igitur quoniam vanioris persecutio erat qua Christum persequebantur et odium in deum. Deinde causam infidelitatis eorum ponit dicens: Quomodo vos potestis credere qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quae a solo deo est non quaeritis. Hinc enim rursus ostendit quoniam non quae dei sunt intendebant, sed propriam volebant defendere passionem. Alcuinus. Magnum igitur vitium est iactantia et humanae laudis ambitio: quae de se vult estimari quod de se non habet. Ideo enim non possunt credere quia supplex mens eorum laudari desiderat, et se super alios efferre. Beda. Hoc autem vitium melius cavere non possumus: quam ut ad conscientias interius redeamus. nos quoque pulverem esse consideremus, et siquid nobis boni inesse deprehendimus: non nobis sed deo ascribamus. Nitamur etiam ut semper nos tales exhibeamus: quales ab aliis videri desideramus. Deinde quia possent ipsum respondere: Ergo accusabis nos apud patrem. Et ideo eorum quaestionem praeveniens subdit: Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud patrem. Crisostomus. Quia scilicet non veni damnare sed salvare. Est qui accusat vos Moyses in quo vos speratis. Sicut enim de scripturis supra dixit: In quibus putatis vitam aeternam habere: ita et de Moyse ait: In quem vos speratis. Ex propriis eos ubique capiens. Sed diceret: Qualiter nos ille accusabit? Quid tibi et Moysi cum sabbatum solvisti? Et ideo subdit: Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi. De me enim ille scripsit. Hoc ex superioribus consequentiam habent. Cum enim confessionem deduxisset quod a deo venit, ab operibus, a voce Iohannis, a patris testimonio: manifestum est quod Moyses eos accusabit. Etenim dixit: Si quis venerit signa faciens, et ad deum ducens, et futura praedicens cum veritate: oportet ei obedire. Christus autem haec omnia fecit. Alcuinus. Forsitan autem more nostro posuit: non quia dubitatio sit in deo. Scripsit autem de Christo Moyses dicens: Prophetam suscitabit vobis deus de fratribus vestris: tamquam me ipsum audietis eum. Augustinus. Sed et omne quod scripsit Moyses de Christo est, id est ad Christum omnino pertinet, sive quod eum figuris rerum gestarum vel dictarum praenunciet, sive quod eius gratiam gloriamque commendet. Sequitur: Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis? Theophylactus. Q. d. Ipse et scripsit, et apud vos libros reliquit, ut si forte obliviscemini, de facili recordari possitis; et tamen scriptis non credidistis. Et quomodo verbis meis non scriptis credetis? Alcuinus. Et hinc colligitur quod qui legit praecepta quae rapinam et alia mala prohibent, et implere negligunt: dicta evangelii quae perfectiora et subtiliora sunt implere non valent. Crisostomus. Et quidem si attenderent his quae dicebantur: oportebat quaerere et ab eo discere quae sunt illa quae Moyses de eo scripsit: sed silent. Tale enim est nequitia: ut quicquid aliquis dicat vel faciat: maneat proprium venenum conservans.

contra Faustum

Capitulum VI

c. vi

Post haec abiit Iesus trans mare galileae quod est tiberiadis: et sequebatur eum multitudo magna

Sicut iacula. Crisostomus. cum induratum aliquid inciderint, cum multo impetu iaciuntur; cum autem non habent aliquid obvians, dissolvuntur cito in nullo et quiescunt: ita et si cum audacibus hominibus impetuose incesserimus, saevient magis. Si autem cesserimus: facile movemus eorum insaniam. Propterea Christus furorem ex praemissis sermonibus na